

IESVS MARIA.

**NARRATIO
BREVIS, CON-
TRALITES, ET CONTRO-
uersias; & in fauorem Domini Regis, &
fidelissimorum vassallorum Cathalo-
niæ, & in laudem Excellentissimi
Episcopi Barcino-
nensis.**

*Judicandum non est,
nisi tota lege lecta.*

*Veritas paucis
est contenta.*



FORMALI Et finali causis, constitutionis; 2. tit. de iurament. attentis, facile apparet Reges Aragonum, in initio noui dominij & ditionis suæ, iuratos; seruandas ab eis constitutiones Cathalonix. Atque in eum finem factam, dictam constitutionem, videlicet, quod omni tempore, sub iuramenti religione tenerentur Reges ad obseruantiam earum: ac inde in initio præstandum: nisi dicatur, vno tempore seruandas constitutiones sub iuramento; scilicet in medio, & in fine, non autem in initio: contra iuris regulam, quæ habet; obligationem in quibus dies non apponitur, præsentis die deberi.

Cum igitur pateat, Regem de nouo succedentem, sub iuramenti obligatione astringi ad seruandas constitutiones, die nõ appositio, præsentis die initij successionis teneri, facile constat. Et sic venit intelligendum Petrus 3. in quodam priuilegio; ibi, In initio eorum dominij, ac noue successionis.

Et ut radicitus hæc enucleari valeant, cum vim non modicam, super his fieri dicatur; ad propriam huius rei materiam, recurri oportet. Estque sciendum, secundum naturalem rationem, & veram, & optimam philosophiam, quantitatem, a tam continuam, quam discretam, suas habere partes, quæ suum proprium habent nomen, vt, nisi improprij simè, & extra terminos cuiusque facultatis, non possint alijs, partibus, eadem nomina deseruire, v. g. in linea, quæ ex punctis constat, primum punctum, dumtaxat dicitur, principium lineæ, & sic falsa esset hæc propositio: Punctum secundum, est principium lineæ, nisi improprij simè, & extra terminos facultatum omnium, & scientiarum, quis ellec loquatur; ex eo scilicet, quia secundum punctum est vicinior primo puncto, quod est principium lineæ: vtpote si dicat aliquis; Secundum punctum, est in principio lineæ; talis propositio est falsa, nisi declarer, id est vicinior est secundum punctum, principio lineæ, quam medio.

Sic etiam in quantitate discreta, v. g. in numero denario, vnicus, est principium dicti numeri, sicut aliorum omnium. At si quis dicat, duo,

*a Vt patet ex omnibus
Doctoribus, ibi vbi
de quantitate agunt.*

est principium numeri denarij, est falsa propositio; nisi dicat impro-
prijsimè, & extra omnes facultates, scilicet, duo est in principio nu-
meri denarij, id est propius accedit ad unitatem, quàm ad numerum
denarium. Et sic de tempore, & alijs facilè quis iudicabit. Ac inde pa-
riter in præfenti nostro casu: prima dies successione dicitur princi-
pium successione, nisi quis nollet numerare per dies, sed per annos.
Dicendo, principium successione Regis nostri nunc felicissimè reg-
nantis, quem omnipotens Deus quamplurimos nobis seruet annos;
cum eius viuissimæ actiones, & animi dotes, prospera, & pulcherrima
promittant facta. Dicendo igitur, quòd principium Regis fuit anno
1621. si subsequatur interrogatio, quo mense, & quo die; necessariò
erit perueniendum ad primam diem successione. Et sic an principium
successione Regis, transierit, an saltim venerit, quantitas discreta iu-
dicet.

Deinde ponamus, Titius successit in hæreditate, cui mandatum fuit
à testatore, quatenus in principio successione aliquid solueret Caius;
certum est hunc hæredem, in continenti eodem die, quo adiuit hære-
ditatem, teneri. Nam si dicatur vnum mensem, vel duos menses, vel
vnum annum, vel duos, &c. dici principium. Et iste hæres decede-
ret infra hoc tempus; prius venisset ad finem successione, quàm trans-
uisset per medium: imò antea, quàm exiisset ex principio, a quòd
ratio naturalis admittere non videtur.

à Ratio naturalis ha-
bet vim legis, & eius
anima dicitur, & sic
pluris fit, quàm ipsa
met lex secundum om-
nes Doctores.

b Constitutione 2. tit.
de iurament. & in ve-
ditione bouatici.

c Non enim ante iura-
mentum possunt exhi-
ge e sacramentum, vel
fidelitatem, d constit.
& venditione bouati-
ci.

d Cap. 1. qualiter iura-
re debet vassallus, eo
tit. de forma fidelita-
tis.

e Authen. multo ma-
gis. C. de sacrosanctis
Eccles.

f Bald. conf. 291. ad
evidentiam, n. 3. vers.
rursus, lib. 2. Aegi-
dus, conf. 33. nu 51.

g Alex. conf. 136. viso
& examinato, col. 2.
n. 4. vers. sed quatum
ad propositum, lib. 1.

h Dicta const. 2. tit.
de iurament. & dicta
venditione bouatici.

i Hæc propositio plu-
ribus iuribus proba-
tur, sed sæpius ab ho-
minibus amplectitur.

Ex quibus apertissimè apparet iuramentum in principio successio-
nis à Rege præstandum; similiterque patet, principium successione
esse primam diem.

Nunc ad aliud dubium venire oportet. Et licet nequaquam f. s. fit
hæsitare, inò certum sit, Regem, verum certum, & indubitatum Do-
minum esse Principatus Cathalonix, & per iudices ordinarios exer-
cere iurisdictionem, tanquam Governatorem: Salua tamen eius cle-
mentia, impediri videtur, per se vti Regem, & Comitem; & per locu-
tenentem. Quòd probari videtur, sequentibus rationibus.

Prima ratio, sub fidelitate comprehenditur iurisdictione, vt patet ex
tex. in c. 1. tit. qualiter iurare debeat vassallus in vlib. feud. ibi: Aut si
ideo iurat fidelitatem, non quòd habeat feudum, sed quòd sub iurisdic-
tione sit. Sed Gotolani antea, quàm Rex iuret, non tenentur præsta-
re fidelitatem. b Ergo Gotolani antea, quàm Rex iuret, non sunt sub
eius iurisdictione, vti Regis & Comitis.

Secunda ratio, Dominus Rex vti Rex, & Comes Barcinone, antea
quàm iuret, non habet iurisdictionem c exigendi fidelitatem à Go-
tolanis. Sed hæc est summa omnium iurisdictionum, iurisdictione; quia
fidelitas, securitatem, d & incolumitatem Domini respicit. Ergo defi-
ciente sibi hac iurisdictione exigendi fidelitatem; multò magis alias
iurisdictiones defecturas constat; nam de iure, si id quòd magis vide-
tur inesse, non inest, à fortiori neque id quòd minus. e

Tertia ratio, fundamentum omnium iurisdictionum, est exactio fi-
delitatis; nam hæc respicit obedientiam, f & reverentiam subditorum
erga Dominum. Sed Rex antea, quàm iuret, expresse impeditur exer-
cere, vt Rex & Comes, hoc fundamentum g iurisdictionis. Ergo Do-
minus Rex multò magis impeditur ante iuramentum, exercere alias
iurisdictiones; sine fundamento enim superædificari non potest.

Quarta ratio maioris ponderis, & magis æstimabilis est exactio fi-
delitatis, quàm exercere alias iurisdictiones; nam charitas h bene-
ordinata, incipit à seipso. Sed Dominus Rex vti Rex & Comes, an-
te iuramentum, impeditur exigere fidelitatem. Ergo ante iuramen-
tum multò magis impeditur exercere alias iurisdictiones; quæ non
respiciunt eius personam.

Quinta

Quinta ratio, protestans, de eo, protestatur, quod ad se pertinere arbitrat. Sed omnia tria brachia in curijs Montiffoni anno 1585. præstando fidelitatem, expressè protestata fuerunt, ne exerceretur iurisdicção, ante Regis iuramentum. Ergo de re ad se pertinente, & quæ poterat sub fidelitate comprehendi, fuerunt dicta brachia protestata; protestatio enim est voluntatis declaratio, quæ à pacto maximè differt. Estque sciendum protestationi consentientem b maximè expressè, & in curijs, constitutione astringum esse.

Sexta ratio, causa finalis iuramenti præstandi à suc effloribus, est, ut Comites exercent iurisdictionem secundum privilegia, & constitutiones c Cathalonix. Ergo iuramentum præstandum est ante exercitium iurisdictionis; nam alias, si interim frangerentur constitutiones; esset post vulneratam causam remedium quære.

Septima ratio, post specialem numerationem: generalibus, & uniuersalibus dictionibus appositis: licet maiora expressis non comprehendantur, benè tamen paria, d & minora. Sed in instituto bouatici, post suspensionem iurisdictionis exigendi iuramentum, vel fidelitatem; e adduntur illa verba generalissima: Vel in aliquo respondeant: Igitur cum exactio fidelitatis sit fundamentum, fons, & origo, & præcipua iurisdicção omnium iurisdictionum; & postea subsequuntur, illa verba generalissima: Vel in aliquo respondeant: Rectè sequitur, reliquas omnes iurisdictiones, tamquam minores, comprehendi. Neque dicendum est prædicta verba: Vel in aliquo respondeant, ad supra dicta referri; nam dicitio, f vel, inter diuersa poni vult.

Octava ratio, fidelitas comprehendit feudum, & iurisdictionem. g Sed Gotolani ante iuramentum Regis, & Comitis exempti sunt à præstatione fidelitatis. Ergo Gotolani ante iuramentum Regis, & Comitis, exempti sunt à iurisdictione, uti Regis, & Comitis. Benè tamen subsunt ei, uti Gubernatori, & certo, & indubitato Domino.

Ex quibus apparet ante iuramentum, Domino Regi, uti Regi, & Comiti Barcinone, suspensionem esse iurisdictionem. Ac inde, nec per locum tenentem exercendam, plura testantur iura.

Verumtamen, postquam emanatum fuit privilegium locum tenentis, in fauorem Illustrissimi, & Excellentissimi Episcopi Barcinonensis, non videtur posse recedi ab huiusmodi prouisione. Nam si quilibet priuatus, conatur sua decreta executioni demandare; quid facturus est totius orbis potentior Rex?

Sed certè non sic est, nam imò, quoad Deum, & homines plurimi fiet si suam mutauerit sententiam. Quia Reges non sunt amnes, qui non possint retrocedere à semel statutis; quibus maximè conuenit illud: Sapientis est consilium mutare. Præuilegia enim, & prouisiones, quæ emanant à Regia Maestate, semper intelliguntur; dummodo ius tertij non lædant; & hoc ea ratione; ne iniuriæ nascantur, unde iura nascuntur. Et ideo quam plurimos Principes prudentissimos; prouisiones ab ipsis emanatas mutasse, tam in diuinis Scripturis, quam humanis, & in utroque iure, plura testantur exempla.

Et equidem, quamuis de iure ad id non teneretur Dominus Rex, animaduertens tamen, causam summi amoris, & beneuolentiæ videndi suum Regem, Gotolanos motos; rem dignam

a Cap. ex ore. de his, quæ fiunt à maiori par. capi. nam protestatio nihil aliud est, quam voluntatis declaratio. ardi. Thuf. litera P. concl. 936. n. 1. Corne. conf. 120. confirmando opinio- nem, n. 3. in fine.

b Protestationi consentiens, sibi præiudicat. Abb. in c. Cumanana, n. 5. de electio. Alex. conf. 78. viso in fine, lib. 5.

c Dicta consti. 2. tit. de iurament. & toto tit. de obserua. consti. d Ita argumētum Ludouicus Romanus in conf. 271. in materia regaliarum, qui plura allegat, & hoc ro constanti, & verissimo omnes dant.

e Dicta consti. 2. tit. de iurament. & venditione bouatici.

f Thuscus Cardinalis in verbo, seu, Bald. conf. 291. nu. 4. & 5. ver differunt autem, lib. 2. tex. in c. unico de statu regu. in 6. §. verum ibi homagiū, vel fidelitatis Sacramentum.

g Cap. 1. qualiter iurare debeat vassallus fidelitatem in vsibus feud.

4
tanto Principe fore; mutuo amore, amorem compensando, ad eorum preces, & beneuolentiam inclinando, omnes gentes predicabunt.

Suntq; huius naturæ Gotolani, qui si nouerint in Principe voluntatem: vitam & bona omnia, nedum offerent, sed opere complebunt adquirendo ei noua Regna; nec rem nouam aggredientur; cum iam illius Prouinciæ talis sit consuetudo: sicuti docent pulcherrimæ res gestæ, signanter familia de Cabrera, de Cardona, de Moncada, de Queralt; necnon de Pinos, de Rocaberti, de Boxadors, de Erill, de Pons de Ribelles; tum etiam de Calders, de Vilalba, de Iuorra, de Agullo, de Copons, de Merles, de Zabater, de Guimera, de Villarplança, de Ozona, & aliarum infinitarum; secundum vires cuiusque seruata proportionem.

Neque silentio prætereundum est. Cum solitis, & assuetis protestationibus; consentire posse Gotolanos nominationi factæ Illustrissimi, & Excellentissimi Episcopi Barcinonensis, signanter post iam ostensum vehementem amorem, & beneuolentiam videndi suum Regem Comitem, & Dominum. Quia cum protestatione, saluum manere ius cuiusque, de iure communi adeo verum est, vt nemo hæsitauerit; de iure autem municipali Cathalonix, res est adeo euidens & clara, vt certo certius sit. Cum omnes vsus in: roducti per Dominum Regem, vel eius officiales, quamuis essent immemorales, si obuiant priuilegijs, constitutionibus, vsibus, & consuetudinibus Cathalonix, sint irriti, nulli, & nullius roboris, & firmitatis. Plurimum autem mouere debet Gotolanos, nominatio Illustrissimi, & Excellentissimi Episcopi Barcinonensis, qui Gotolanus est, & Doctrina, morum candore, & humanitate vir singularis; in administranda iustitia rectissimus, negotiorum omnium expertissimus, & demum, quampluribus etiam alijs animi dotibus illum comitantibus: vt merito demonstrent eum descendere ab illo Illustri viro Guillermo de Sentis, qui tempore Regis Petri 2. gratissima ei præstitit seruitia.

Vnde, cum protestationibus assuetis, nominationi dicti Illustrissimi Episcopi, quanto citius acquiescent, & consentient Gotolani; & multis consulent; & tanto plus nominis, & laudis sunt consequuturi: non ignari, quod si Generalis Gubernator creetur; regalijs sibi communicatis, parum differat à Gubernatore Mediolani.

Sed dicer aliquis, hæc vltimo dicta, videri contraria superius traditis; vt potè mutari prouisiones; & eis acquiescere, & consentire, simul stare posse non videtur.

Sed equidem nulla est contrarietas; sed imò dumtaxat duo sunt adducti, exitus, ad extinguendum contentiõnem, quæ vertitur inter patrem, & mille nominibus colendum, & filios legitimos, & fidelissimos. Vno igitur exitu, istorum electo, vacaturò alio: verum tamen electo, non carituro summa prudentia, summaq; discretionem. Amor in parentibus summum locum tenet; sicut in filijs obedientia, quæ vt decet, suo officio est functura. Amoris contentiõnem, amoris finem subsequitur, vt amantium iræ, merito, amoris reintegratione sit.

Hæc si zelo, quo scripta sunt, recipiantur, & qui boniq; omnes consulent: maxime omnibus & singulis dictis, iudicio alterius cuiusque, rectius sentientis, libentissime submissis.

Petrus Vilalta, I. V. D.

Villa Ceruaria.

à Sic enim de iure vocatur Princeps, vt in præfatione in authent. coll. 8. & ibi Glos. in verbo vicinus.